dormierant surrexerunt. Ablata sunt ergo omnia argumenta perfidie. Ne quis enim dicat sperare de se non debet homo quod in carne sua exhibuit homo deus. Ecce cum deo homines resurrexisse cognoscimus et quos puros fuisse homines non dubitamus. Si igitur membra nostri redemptoris sumus presumamus in nobis quod gestum constat in capite. Si multum nos alii(?) sperare debemus in nobis nos membra ultima quod de membris eius superioribus audivimus. Ecce ergo ad memoriam redit quod crucifixi dei filio insultantes dixerunt: Si rex Israel est descendat de cruce et credimus ei. Qui si tunc de cruce descenderet nimirum insultantibus iudeis cedens virtutem nobis paciencie non demonstraret. Sed expectavit paululum tolleravit opprobria irrisiones sustinuit servavit pacienciam distulit admiracionem. Et qui de cruce descendere noluit de sepulchro surrexit. Plus igitur fuit de sepulchro surgere quam de cruce descendere. Plus fuit mortem resurgendo destruere quam vitam descendendo servare. Sed cum iudei hunc ad insultaciones suas de cruce descendere minime cernerent cum morientem viderent eum se vicisse crediderunt nomen illius se quasi extinxisse gavisi sunt. Sed ecce de morte nomen eius per mundum crevit. Ex qua hoc infidelis turba extinxisse se credidit. Et quem gaudebat occisum dolet mortuum quia hunc ad suam gloriam pervenisse cognoscit per penam. Quod bene in libro Iudicum Sampson ille facta significat. Qui cum Gazam civitatem Philistinorum fuisset ingressus Philistei ingressu eius protinus cognoscentes civitatem repente obsidionibus circumdederunt custodes deputaverunt et Sampson fortissimum se iam comprehendisse gavisi sunt. Sed quid Sampson fecit agnovimus. Media nocte portas civitatis abstulit et montis verticem ascendit. Quem fratres karissimi hoc in facto quem nisi redemptorem nostrum Sampson ille significat. Quid Gaza civitas nisi infernum designat. Quid per Philisteos nisi iudeorum perfidia demonstratur. Qui cum mortuum dominum viderent eiusque corpus in sepulchro iam positum custodes illico deputaverunt et eum qui auctor vite claruerat in inferni claustris retentum quasi Sampson in Gaza se deprehendisse letati sunt. Sampson vero nocte media non solum exiit sed etiam portas abstulit quia videlicet redemptor noster ante lucem surgens non solum ab inferno liber exiit sed ipsa eciam inferni claustra destruxit. Portas tulit et montis verticem subiit quia resurgendo claustra inferni